

Q. K.
4497

X 1876341

Π i
1646

Q. B. V.

De

PONTIFICIBUS ROMANIS UXORATIS

Et

FILIIS PATRUM IN PONTIFICATU

SUCCESSORIBUS

Summe Rever. Collegii Theol. in

Acad. Kiloniensi

suffragio

Sub Præsidio

JO. FRID. MEYERI, CONSILIARII REGII

& Ducalis S. Theol. Doct. & Profess. Ord. atque

Facult. Theol. h. t. Decani

respondebit

GREGORILIS LANGEMAK,

Utersâ - Holsatus.

Ad d. Aprilis M DC XCIX.

KILONII, Literis Bartholdi Reutheri, Acad. Typogr.



De
D. B. N.

PONTIFICIBUS ROMANIS UXORATIS

Et
FILIIS PATRUM IN PONTIFICATU
SUCCESSORIBUS

Summe Rever. Collegii Theol. in

Acad. Kiloniensi

sub Praesidio

sub Praesidio

Jo. Frid. MEYER, CONSILIARIUS REGII

& Ducalis Theol. Doct. & Prof. Ord. sive

Facult. Theol. h. c. Decani

responsibus

GREGORII LANGEMAN,

Urbs. Holler.

Ad A. M. DC. LXXII

KILONII, Ikeris Parochi Reuberi, Acad. Typogr.

Handwritten stamp or mark, possibly a library or ownership mark, located at the bottom center of the page.



JESU FORTUNANTE!

PRÆFATIO.

Pontifices Romanos Patres & Papas Maritos edisseram, rem pluribus incredibilem. Quis enim crederet, Pontifices Clerum universum ab usu conjugii arcen- res, quo certius ei dominarentur, (quam in rem vide *Phil. Melanctonis* defensionem conjugii sacerdotum ad Regem Angliæ missam *Opp. T. II. f. 168. seqq.*) id facturos fuisse non modo contra usum veræ Apostolicæ Ecclesiæ, sed & contra autoritatem atque exemplum virorum sanctissimorum, aliorum etiam sequioris ætatis, quorum se successores esse jactant. Nihil tamen verius illis posse objici, præsentī diatriba planum fore atque manifestum arbitror. Sufficiet hæc spero ad confunden- dam *Cardinalis Bellarmini* de Clericis lib. I. c. 19. impudentiam: à tempore *Apostolorum omnes Episcopi, Presbyteri aliique Ecclesiastici*, quorum vitas habemus & quos unquam laudatos audivimus, continentes fuerunt, neque ullum exemplum probati viri in contrarium afferri potest. & *Lojolitæ Nicolai Schatenii* lib. 2. de Carolo M. Romanorum Imperatore Romano Catholico. c. XX, n. 5. p. 340. *Evincunt exempla sanctorum Pontificum, Episcoporum & Presbytero-*
rum,

rum, quos ab Apostolorum aeo, ad nostram aetatem, toto orbe percensemus, quorumque vitas ex historiis possidemus. Quid enim magni & sanctissimi Pontifices Romani? Quid magni & sancti Episcopi, Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, aliique innumeri? ullusne in matrimonio vixit Episcopus? aut quem laudatum etiam Presbyterum, Subdiaconum conjugatum proferre poteris? ut ad horum exempla provocat Bellarminus l. 1. c. 19. de Clericorum cœlibatu & lib. de Iudicio Concordia. Tota hic Antiquitas obsistit Luthero? Venisset his utinam illud Statii in mentem l. X. Theb. v. 697.

- - - ne frena animo permitte calenti

Da spatium tenuemque moram male cuncta ministrat

Impetus.

Sed ad rem! Ducat nos spiritus veritatis in omnem veritatem.

ARGU-



ARGUMENTUM DISSERTATIONIS.

Pontifices falso se vocant sponfos Ecclesie, quod nomen soli Christo competit §. 1. Verum est quosdam ex illis fuisse maritos proprios & contraxisse matrimonium, quod deinceps probatur, tractatione de furtivis Paparum amoribus jam tantisper seposita. §. 2. Christus Servator noster in Catalogis Pontificum primo loco poni solitus, quo jure? utrum ejus exemplo cælibatum suum Pontifices Romani tueri possint. §. 3. De Petro Apostolo, num Roma fuerit, & per XXV. annos Episcopus fuerit Romanus? Eum conjugio junctum fuisse, etiam postquam Apostoli munere fungi cæpit. De Petronilla. Utrum filium quoque habuerit Petrus? §. 4. Paulum non minori jure inter Episcopos Romanos referendum esse quam Petrum. Controversia de Ecclesia bicipite sive Petro & Paulo Pontificum prædecessoribus. §. 5. Paulum quoque maritum fuisse videri, quod peculiari diatriba probandum promittitur §. 6. De Clemente Romano. Ei uxorem liberosque fuisse ex Epistola ad Corinthios ostensum. Pseudo-Clementis Epistola Decretalis rejecta. §. 7. Platina in vita Cleti assertio Lucam Evangelistam conjugio junctum fuisse, qua obiter ex antiquis Platinae editionibus contra recentiorum castrationem vindicatur. §. 8. Constitutionem de cælibatu sacerdotum quam Calixto I. quidam tribuerunt, rectius referri ad Calixtum II. Certe diu post Calixti I. tempora cælibatum clericorum improbatum Silvestro Papa & Leoni Magno. Siricius Pontifex suavit potius cælibatum quam severius

*præcepit. Paulinus & alii Episcopi eius decretis non obedi-
entes. §. 9. Pontificum uxoratorum illustre exemplum Amadeus
Dux Sabaudia, postea Felix V. De eo Anea Sylvii qui postea Papa
Pius II. egregium testimonium. §. 10. Hermisda & Sergius III.
Patres Pontificum. §. 11. Coronis de Sylverio & Johanne XI. filiis
Pontificum eorumque in Pontificatu successoribus. §. 12.*

THESES I.

Jam pridem Pontifices tum se ipsi venditaverunt, tum à Pa-
rasitis suis dicere se passi sunt, *Sponsos Ecclesie*; etsi jam olim Bern-
hardus Epist. ccxxxvii, non dubitavit *Eugenium* monere *ne se
sponsum Ecclesie obtruderet qui vix esset Sponsi amicus.* Orto An-
no 1045. gravi trium Paparum *Sylvestri tertii, Benedicti & Gre-
gorii IV.* Cardinalibus sic volentibus, Schismate, eremita
quidam ad Imperatorem *Henricum III.* scripsit in hæc verba:

*Imperator Henrice
Omnipotentes vice
Una Sunamitis
Nupsit tribus maritis
Dissolve connubium
Et triforme dubium.*

Vide *Gregorii Heymburgensis* confutationem Papatus Pæ-
pæ apud *Edvard. Brody* Tom. II. fasciculi rerum expeten-
darum. p. 122. *Leonem X.* præsentem in Concilio Lateranen-
si Sess. VI. *Simon Begnius* Episcopus hoc ornabat elogio:
*Sed ne fleveris filia Sion, quia ecce (NB. NB) venit Leo de tribu
Juda, radix David. Ecce suscitavit tibi Deus Salvatorem, qui sal-
vabit te de manibus vastantium & populum Dei de manibus perse-
quentium liberabit. Te Leo Beatissime Salvatorem expectavimus,
te liberatorem venturum speravimus. Ad Te pro acceptis cladibus,
pro*

pro perperam gestis (NB. NB.) gementes, pro malorum sine & futura spe victoria leti & hilares clamamus. (NB. NB.) Impugnantes nos. Apprehende scutum & gladium & adsurge in adiutorum nostrum. (NB. NB.) Conclude adversus eos, qui nos persequuntur & tabernaculum sponsa tua, qui manus impiorum polluerunt, vindica, ut sicut Christianus populus te solum verum Pontificem veneratur, ita & Christiani nominis hostes te religiosissimum metuant, te potentissimum contremiscant. Hinc Abrahamo Bzovio Pontifex Romanus Sponsus Sponsa sine ruga & macula est. Pontif. Max. c. xv. f. 122. plura de titulo hoc apud Bellermium habes, lib. 2. de Pontif. Rom. c. 31. & Theophil. Raynaudum in Corona aurea supra mithram Romani Pontificis Tom. X. Opp. f. m. 122. Obtinere id quidam fatagunt ex illo Apostoli I. Tim. III. 2. *Episcopus sit unius uxoris maritus.* Ergo Papa conjugis unius, Ecclesiae nempe universalis Sponsus ac maritus dignissimus! Quod argumentum ingeniosè & verè ridet Dominicanorum quondam Generalis Bernhardinus Ochinus Dial. II. p. 200. seqq. adde insignem librum Ferrantis Pallavicini Hist. *Ehescheidung von der Röm. Kirche.* Majus Argumento pondus addit Gorgius Polachus Presbyter Venetus in Bulla Urban. VIII, pro anno jubilæo. f. 220. *Quia gestat annulum.* Ergo Sponsus! Ergo maritus Ecclesiae. Datum id est honori Episcopali ut annulos gestent non autem inferiores Prælati. Unde nescio quis apud Raynaudum Lojolitam l. c. dixit, *omnem annulatum aut Episcopum aut uxoratum esse.* Neque in apologiæ usum sufficit quod Raynaudus Francisco Hottemanno respondens qui adversus Bullam. c. 2. scripserat, *docere Romanum Pontificem sponsum Ecclesiae, esse Balsphemiam, qua nulla unquam ex Erebo prodierit capitalior aut detestabilior, cum id sit Pontificem statuere procum Regina & Regis Regum, contendat*
Chri.

Christum *primarium*, Papam autem esse *secundarium* Ecclesiae Sponsum, quod & facit Lojolita *Gretserus* in *Myſta Salmuriensi* p. 410. quis enim unquam audivit sponsum secundarium? vel quis sensus ejus nominis esse potest, ut Ecclesia ab adulterii crimine sit immunis? Exciderante *Raynando*, quod de *Cinerariis Concilii Illiberitani* Can. 67. acceperat; *Prohibendum, ne qua mulier fidelis, vel Catechumena, aut Comatos aut viros Cinerarios habeat.* Ad quæ verba *Raynaudus* Tom. XIII. *Opp.* in *Laude brevitatis*, p. 489. ita commentatur: *Illi enim Comati suspitione laborabant nefarii operis, ut videre est apud Tiraquellum ad l. 3. Connub. & Martinum à Roa l. 5. singul. c. 15. Itaque Comatis adjuncti Cinerarii, nihilo majoris probitatis indicium subministrant. Fitque verisimillimum, quod non nemo conjecit, quæsitum eleganti specie è boreali regione procerum quempiam, qui mulieri *Ethiæ* etiam conjugata, citra conjugium esset ad opus conjugii, quamvis specie externa nihil tale proderetur. Ea vero turpitudine, ne irreperet inter Christianas mulieres, malebat *Tertullianus*, mulierem fidelem pauperi marito nubere, qui non posset uxori suppeditare sumtus ad famulitium domesticum cum tanta infamia conjunctum. Quod tamen propudium concubinorum etiam apertorum ac professorum, inter Boreales admodum remotos, non ita pridem superfuisse, meminisse legere. Certè solum Christum Ecclesiae suæ Sponsum esse docemur à *Johanne Baptista*, Joh. III. 29. qui ipse tametsi quovis Propheta major, ac Domini præcursor, nolit sibi eundem titulum unquam arrogare. Neque *Paulus* id ausus est 1. Cor. XI. 2. probe nempe gnarus Ministros Evangelii tametsi præcipuos, ipsosque adeo Apostolos non esse sponso sed *νεμνίσθητε, συμπαρωγὰς*, ceu ad illum locum rectè observat *Oecumenius*. Unde *Raynaudus* etiam in libro de attributis Christi, quo inter alia de titulo sponsi *Tom. 2. Opp.* p. 412. seqq. fuse agit,*

agit, Papæ tamen non meminit, sed tantum p. 415. fatetur Prophetas, Patriarchas & Apostolos esse sponsi illius pronubos & paranympnos.

THESIS II.

Quam falso autem Pontifices Romani se *Spirituales Ecclesie maritos* ac sponfos esse jactant, tam verum est, aliquos ex eorum numero *proprie dictos maritos sive conjuges fuisse* ac matrimonium contraxisse, aut certe vero ac legitimo connubio junctos eos, quos ipsi primos fuisse Pontifices audacter asseverant. Nolo autem in præsens de furtivis amoribus, adulteriis, impuris libidinibus plurimorum Romanæ sedis carcinomatum agere, de quibus, cum plura dici possent, tum integri libri ab aliis sunt impleti, quales sunt *Heilbrunneri Feuscheri Pabst / Szegedini vitia Pontificum, Reiseri Roma non gloriosa, Scriptores vitæ Donnae Olympie &c.* Unico quod apud doctissimum Poëtam Pontificum *Sannaazarium* extat Epitaphio *Alexandri VI.* sumus contenti, quod cum recentiores Romanæ cum primis editiones cogantur omittere & stellulis tantummodo de vi illata conqueri, ex antiquissima & castratorum Pontificiorum manus nondum passa ne pereat, hic repetam.

Fortasse nescis, cuius hic tumulus fiet.

Adsta viator ni piget.

Titulum quem Alexandri vides, haud illius

Magni est, sed hujus, qui modo

Libidinosa sanguinis captus siti

Tot civitates inclytas,

Tot regna vertit, tot duces letho dedit

Natos ut impleat suos.

Orbem rapinis, ferro, & igne funditus

Vastavit, hausit, eruit:

B

Mh.

*Humana jura, nec minus caelestia
 ipsosque sustulit Deos:
 Ut scilicet liceret (heu scelus) patri
 Nata sinum permingere,
 Nec execrandis abstinere nuptiis
 Timore sublato semel.
 Et tamen in urbe Romuli hic vel undecim
 Praesedit annis Pontifex.
 I nunc Neronēs, vel Caligulas nomina,
 Turpeis vel Heliogabalos.
 Hoc sat viator: reliqua non sinit pudor.
 Tu suspicare & ambula.*

Sed de conjugiiis scribam honestis, de solemnibus nuptiis
 & legitimis uxoribus Episcoporum quorundam Ecclesiae Ro-
 manae.

THESIS III.

Tabulas Pontificum Romanorum nomina & vitas refe-
 rentes, qui ediderunt, primo loco sanctissimum Servatoris no-
 men exhibent, quasi is Papparum duceret familiam? vide mi so-
 des velexiguum *Platinae* libellum vel vasta *Alphonsi Ciaconii* &
August. Oldoini volumina, atque coecitatem hominum deplora.
 Hujus vero exemplo si coelibatum à Clericis atque adeo etiam
 à Pontificibus servandum esse contendunt, non possunt diffite-
 ri, se quam simillimos esse illis hæreticis de quibus *Clemens Ale-*
xandrinus lib. 3. *Stromat.* p. 446. Εἰσιν δ' οἱ πορνείαν ἀντικρυς τὸν γά-
 μον λέγουσι, καὶ ὑπὸ τῆς Διαβολῆς ταύτην ἐθαδιόθαι δογματίζουσι.
 Μιμῆσαι δ' αὐτὰς οἱ μεγάλαυχοι φασὶ τὸν κύριον, μήτε γήμαντα μή-
 τε τι ἐν τῷ κόσμῳ κτησόμενον, μᾶλλον ἢ τῆς ἄλλης νενοηκέναι τὸ
 εὐαγγέλιον καυχόμενοι. *Sunt autem etiam* (*Prodici nempse sectato-*
res ut ex Theodorito lib. 1. de Hæret. fabulis patet) *qui matrimoni-*

um aperte dicant fornicationem (sic Costerus in Enchiridio non dubitavit affirmare quod sacerdos magis peccet si conjugem ducat quam si scortetur) & decernunt id traditum esse à Diabolo. Dicunt autem gloriosi illi iactatores se imitari Dominum, qui neque uxorem duxit, neque in mundo aliquid possedit, se magis quam alii Evangelium intellexisse gloriantes. Fatetur tamen Augustinus Triumphus Anconitanus, vir summa apud suos autoritate & eremitarum Augustini professus in libro de potestate Ecclesiastica, quem Johanni XXII, Pontifici inscripsit, quæstione LXXXIII, artic. 3. p. 421. Christum si in carnali conjugio vixisset, nihil prorsus à statu perfectionis remisisset, neque id vitare debuisset propter status sui perfectionem, sed propter statum viatorum. artic. 2. p. 420. & propter effectus ad Christum repugnantiam vel indecentiam, ipsi enim conjugium non convenisse propter prolis generationem nec propter concupiscentia refrenationem nec propter sui glorificationem, art. 1. p. 419. Quam in sententiam idem Clemens Alexandrinus l. c. ostendit hæreticos illos μισογάμος frustra ad exemplum Christi provocare: εἶπ' ὅτι ἴσασι τὴν αἰτίαν ἢ μὴ γῆμαι τὸν κύριον πρῶτον μὲν ὅτι τὴν ἰδίαν νύμφην ἔχει τὴν Ἐκκλησίαν. Ἐπειτα δὲ ἕδὲ ἀνθρώπων ἢ κοινῶς, ἵνα καὶ βοηθῆ πρὸς κατὰ σάρκα δεηθῆ, ἕδὲ τεκνοποιήσασθαι ἢ αὐτῷ ἀναγκάσιον, αἰδιῶς μένουσι, καὶ μόνω υἱῷ θεῷ γεγονότι. Deinde nesciunt causam, cur Dominus uxorem non duxerit. Primum quidem propriam sponsam habuit Ecclesiam, deinde vero nec homo erat communis ut opus haberet etiam ad jutore aliquo secundum carnem, neque ei erat necesse procreare filios, qui manet in aeternum, & natus est solus Dei filius. & p. 457. Ἐκκλησία δὲ ἄλλον ἢ γαμῆ τὸν νύμφιον κεκλημένη. ἀλλ' ὁ καθ' ἑκάστον ἡμῶν ἢν ἂν βέληται καὶ τὸν νόμον γαμῆν, τὸν πρῶτον λέγω γάμον, ἔχει τὴν ἐξουσίαν. Ecclesia autem alii non jungitur matrimonio Christum sponsum possidens. Sed unus quisque nostrum habet si velit potestatem ducendi legitimam

uxorem, in primis, inquam, nuptiis. Nempe conspirat hoc loco *Clemens* cum plerorumque apud veteres sententia, qui ex male intellectis Pauli verbis secundas nuptias improbabant.

THESIS IV.

Jam ad *Petrum*, quem primum jaçant Pontificem Romanum, quamvis *Ulricus Velenus* Minhoniensis integro libro efficere conatus est *Petrum ne semel quidem Romam venisse* (quo de litem movebo nemini, vide interea *Pearsonium* in dissertat. de successione Episcoporum Romæ p. 32. seqq. seq; atque Magnū *Spanhemium* cui ad Antiquitates sacras illustrandas vegetam porro senectutem integrasque vires apprecamur, in peculiari dissertatione *de profectioe Petri in urbem Romam*) *Salmasius* itidem Apparatu de Primatu Papæ p. 16. & *Sebastianus Schmidius* Præceptor olim noster libro vernaculo Argentorat. 1676. 12. qui inscribitur *Petrus non Papa, Petrus niemahls Pabst* / invicte obtinuerint *Petrum* nunquam fuisse Papam Romanum, nihilominus tamen in hunc usque diem curiæ Romanæ parasiti pro *Petri Romano Pontificatu* arma movent. Contendunt autem sedem Papalem occupasse illum per annos integros XXV. quod *Antonius Pagi* ad A. C. 43. effectum esse docet ex loco male accepto *Lactantii* lib. de mortibus persecutorum cap. 2. *Apostoli per annos 25. usque ad principium Neroniani Imperii per omnes provincias & civitates Ecclesiæ fundamenta miserunt, cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit & editis quibusdam miraculis, quæ virtute ipsius Dei data sibi ab eo potestate faciebat, convertit multos ad justitiam, Deoque templum fidele ac stabile collocavit.* Nolo utique hoc loco, quæ adversus Primatum *Petri & Papatum* ejus Romanum afferri à me possent & exposita etiam
ab

ab aliis jam pridem sunt, urgere, sufficit enim mihi, hunc Petrum, cujus se successores quo jure quave injuria Pontifices jactant, maritum & conjugio junctum fuisse. Probavimus id peculiari dissertatione cum Locum inter Professores Theologos *Facultas Theologica Wittebergensis* nobis amicè concederet, de *Conjugio Petri*; Quæ tunc diximus nolumus repetere, sed adjiciamus mantissam. Insignis certe impudentiæ fuerit de Petro Marito dubitare, cum socrus hujus Apostoli tam frequens in Evangelistarum Scriptis sit mentio. Matth. VIII, 14. Marc. I, 30. Luc. IV, 3. At cum ad Apostolatam à Christo vocatus fuisset Petrus, tunc eum uxorem suam reliquisse volunt arguti homines Pontificii. Itaque cum Paulus 1. Cor. IX, 5. adhuc Uxoris Petri mentionem faceret *μη σὺν ἔχομεν ἕξασιάν ἀδελφῆν γυναῖκα παρ᾽ ἑαυτοῦ ὡς καὶ οἱ λοιποὶ Ἀπόστολοι καὶ οἱ ἀδελφοὶ τῶν κυρίων καὶ κηφᾶς* & Hieronymus c. 6. in Helvidium *γυναῖκα* transtulisset *Uxorem*, uti res ipsa & plurimorum veterum, excepto Tertulliano, consensus suadebat, *Reatinus* tamen contra fidem codicum *mulierem* reponere non dubitavit, quia Hieronymus alibi adversus nuptias acrius disputans, *Tertulliani* exemplo *mulieris* vocem præfert *lib. 1. contra Jovinianum*. Sed frustra sane, cum Paulus Episcopum *μίας γυναίκος ἄνδρα εἶναι* esse, non *γεγονέναι* fuisse (confer *Hieronymi Dandini Jesuitæ Ethicam sacram* p. 553.) velit, & Petrum reliquosque Apostolos etiam post Christi ascensionem Uxores suas secum habuisse constet ex Act. I, 13. 14. *ὅτε Πέτρος καὶ Ἰάκωβος &c. ἔτοι πάντες ἦσαν προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει συν γυναιξί.* Quo in loco etiam si aliquis vocem *γυναιξί* de mulieribus quibusvis piis quæ Christum secutæ erant, intelligendam esse contendat, nulla tamen potest excogitari ratio, cur Apostoli à sancto hoc consortio aliis mulieribus admittis proprias Uxores ar-

cuerint. Sancta si est, ceu esse debet hominibus illis Juris Canonici & Leonis Papæ autoritas, necesse est ut id mecum fateantur. Leo enim can. *omnino* dist. 31. in Pauli verbis itidem *γυναικα* Uxorem interpretatur. Neque obstat quod *Clemens Alexandrinus* libro 3. *Stromat.* p. 448. (non libro VII. ut excusum in *Grotii* notis ad 1. *Corinth. IX.*) ait Apostolos *ὡς γαμεταὶ ἀλλ' ὡς ἀδελφὰς* Uxores suas circumduxisse, unde *Petavius* Jesuita p. 266. *diff. Ecclesiastic.* & illustrissimus nobisque faventissimus *Huetius* p. 69. *ad Origenem* robur sententiæ pontificiæ accedere posse putat, jam enim ante idem *Clemens* Petro & Philippo natos filios & à Philippo filias nuptum datas dixerat. Nihil itaque aliud verbis illis innuere voluit, quam Apostolos exemplo suo probasse Pauli præceptum *ut qui uxorem habent sint ὡς μὴ ἔχοντες. 1. Corinth. VII. 29.* Libenter autem scire velim quid responsuri sint adversarii ad *canonem* quintum eorum quos ipsi *Apostolicos* esse non dubitant: *ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα μὴ ἐκβάλῃτω προφάσει εὐλαβείας, εἰάν δὲ ἐκβάλῃ, ἀφορισθῆτω ἐπιμένων γὰρ καὶ θαιρέθω.* *Episcopus aut presbyter aut Diaconus suam uxorem non eiciat pretextu religionis. Si vero eicit, à communionem pellatur, persistens ordine removeatur.* Num credibile ipsis videtur Petrum fecisse quod Apostoli tam severo præcepto inhibuerunt, quodque Ecclesiæ primitivæ moribus adversum fuisse, tum ex hoc canone tum ex innumeris aliis monumentis patet. Nimis igitur præfidens assertio est *Ælfrici* Abbatis in præfatione ad Anglosaxonicam versionem *Geneseos*, nuper admodum unà cum aliis editam Oxonii ab *Edwardo Thwaites*. Cum enim Petrum comitem à Christo adjunctum esse dixisset, *Tunc, inquit, uxorem statim deseruit, omnesque pariter Apostoli quibus uxores fuerunt, & uxores & facultates suas deseruerunt.* Confer *Warthoni* auctarium ad *Us-*
serium

serium de sacris scripturisque vernaculis p. 382. Idem jam diu antea sed veluti suspicionem duntaxat prodiderat *Origenes* ad caput XIX. Matthæi, ubi omnium à Petro relictorum mentio fit, T. I. *Huetii* p. 389. εἰκὸς δὲ καὶ μὴ δίκτυα μόνον αὐτὸν κῆλελοιπέναι, ἀλλὰ καὶ οἶκον καὶ γυναῖκα ἢ ἢ μήτηρ ἐπιστάντων ἔ' Ἰησοῦ ἀπὸ λακται ἔ' πυρετὸς σοχάσαιτο δ' ἂν τις ὅτι δυνατόν καὶ τέκνα αὐτὸν κῆλελοιπέναι, ὅκ ἀδύνατον δὲ καὶ κλησιν πνα βραχέϊαν. At enim non retia solum sed & domum reliquisse verisimile fit, & uxorem, cujus mater, Jesu ope, febrifuerat exsoluta, quia & liberos hunc fortasse reliquisse, & exiguam aliquam possessionem, conjici potest. Sed profecto Johannem dilectissimum Christi discipulum constat domum suam proprie non reliquisse, quamvis Christum secutus fuisset. Vide *Johann. XIX. 27.* Nec video quare idtum facere debuerit Petrus, nedum ut uxorem, de quâ ab ipso Magistro doceri potuit, quod que *DEus conjunxit homo non debeat separare. Matth. XIV. 6.* Satis itaque erat, quod retibus, hoc est, negotiis suis relictis, Christo se in disciplinam traderet, paratusque esset postea non uxorem tantum, liberos, domum, cujus mentio *Matth. VIII. 14.* & quæcunque haberet amittere, sed vitam quoque ipsam citius profundere quam Magistri amoris fideique renunciaret. Ita enim animo jam universa illa reliquisse & Christo soli adhærere dici vere potuit, quemadmodum illi qui Christi amorem prætulere amoris parentum, dicuntur Patrem ac matrem suam odisse *Luc. XIV. 26.* Cæterum *Hieronymo* qui eandem cum *Origene* suspicionem de uxore à Petro in Apostolatu relicta veluti rem certam prodit *Epistolâ 34. ad Julian.* respondit eruditissimus nobisq; amicissimus *Guil. Caveus* in *vita Petri* cap. 10. num. 8. *Petronillæ* quidem Petri filia nemo mentionem fecisse ex antiquis legitur ante *Augustinum* capite 17. contra *Adimantum*, qui eam ex Apocrypho quodam Mani-

Mani-

Manichæorum libro (*Pseudo-Marcelli forte*, quæ illustris *Huetii* conjectura est, *Epistolâ*) haufit. Pro spirituali Petri filia *Petronillam* habet *Baronius* T. 1. *Annal.* p. 669. *ad A. C. 69. num. 33* & *Antonius Gallonius* in opere *de sanctis Virginibus Romanis*. Neque certum videtur an filium quoque ex conjugio suo susceperit Apostolus, ut *Simeon Metaphrastes* refert apud *Laurentium Surium* in *vitis sanctorum* 29. *Junii* T. 2. f. 353. his verbis: *Cum autem accepisset Petrus filiam Aristobuli fratris Barnabæ Apostoli, ex eâ genuit filium unum & unam filiam.* Quæ similiter leguntur etiam in fragmento *de laboribus, certaminibus & peregrinationibus SS. Petri & Pauli*, quod sub falso *Sophronii* Patriarchæ Hierosolymitani nomine extat T. 5. *Bibliothecæ Maximæ SS. Patrum* edit. *Lugdunens.* p. 1123. Nullo modo tamen dubitandum est Petrum & conjugio junctum & fœdus illud ad mortem uxoris usque, cui intertuisse eum *Clemens Alexandrinus* libro VII. *Stromat.* p. 736. testatur, inviolatum servasse, neque propter Apostolatam uxorem suam rupudiasse. Hinc non tantum à *Basilio Magno* conjugibus annumerantur *πέτρος & καὶ οἱ λοιποὶ τῶν Ἀποστόλων*, sed & *Hilarius Diaconus* vel quicumque autor est commentarii qui sub *Ambrosii* nomine ambulat, in *Pauli Epistolas ad 2. Corinth. XI.* affirmat *omnes Apostolos* (atque adeo Petrum quoque) *exceptis Johanne & Paulo uxores habuisse.* Utique autem mariti manserunt Apostolatus tempore, aut vero Apostoli uxores habuisse non sunt dicendi.

THESES V.

Antequam ad controversos Petri in Episcopatu Ecclesiae Romanæ successores pergimus, nefas sit indictum præ-

prætermittere *Paulum Apostolum*, qui non minore jure quam Petrus, Episcopis meretur accenseri Romanis. Nam & Romæ fuisse Paulum, & Ecclesiam Romanam ad quam scripta ipsius Epistola etiamnum extat, doctrina Evangelica imbuisse negari nullo modo potest, quod saltim de Petro minus est certum & exploratum. Præterea Paulus quoque Petri in Episcopatu Romano collega fuisse perhibetur à non paucis veterum, ex quibus ne reliqua Patrum Conciliorum & Doctorum Pontificiorum testimonia ab *Antonio Arnoldo* & aliis collecta hic transcribam, disertissime *Epiphanius heresi XXVII.* quæ est *Carpocratianorum*: 'Εν Ῥώμῃ γὰρ γεγονάσι πρῶτον Πέτρος & Παῦλος οἱ Ἀπόστολοι αὐτοὶ καὶ Ἐπίσκοποι Ῥομῆ primifuerunt Petrus & Paulus Apostoli iidemque Episcopi. Qui idem *Epiphanius* etiam deinde seriem Episcoporum Ecclesiæ Romanæ ita orditur: ἡ τῶν ἐν Ῥώμῃ Ἐπισκόπων διαδοχὴ ταύτην ἔχει τὴν ἀκολουθίαν. Πέτρος καὶ Παῦλος, Λίνος &c. *Successionis Episcoporum Romanorum ratio hæc est: Petrus & Paulus, Linus &c.* Ut veri simillimum sit idem sensisse etiam *Eusebium Cesareensem*, cum *lib. 5. Hist. Eccles. cap. 2.* ita scripsit: τῆς δὲ Ῥωμαίων Ἐκκλησίας μετὰ τὴν Παύλου καὶ Πέτρος μαρτυρίαν πρῶτος κληρῆται τὴν Ἐπισκοπὴν Λίνος. *Post Pauli Petrique martyrium primus Ecclesiæ Romanæ Episcopatum suscepit Linus.* Certe ex *Irenæi, Caji & Dionysii Corinthii* testimoniis hoc ei constare potuit, & svadet ratio, ut si ministerium Evangelium in Romana Ecclesia ab Apostolo præstitum, Episcopum Romanum fuisse *Petrum* probet, idem argumenti genus procedat etiam in *Paulo*, credibileq; sit longe etiam magis hunc *Apostolum Gentium* præfuisse illi Ecclesiæ quæ ex Ethnicis collecta Christianum nomen amplexa fuit, uti *Petro, Apostolo circumcisionis* illi potissimum adhæserunt, qui ex Judæis Christo nomen dederant. Cætere hæc sententia est laudatissimi *Guilelmi Cavei* in vita *Clementis Romani* p. 80. seq. neque

inauditum fuit primis temporibus, in una civitate, majore præsertim ac populosiore duos simul Episcopali munere ac dignitate functos, etli postea severe id prohibitum, ac velut alienum ab Ecclesiæ moribus reprobatum est in *canone VIII. Nicæno* ad quem vide quæ notavit *Guilielmus Beveregius* notis ad Synodicon magnum p. 69. Sic Antiochiæ *Evodium & Ignatium* eodem tempore Episcopatum rexisse putat *Baronius* post *Baldwinum Junium*, ut alia exempla ab *Abrahamo Ecchellensi* lib. 1. cap. 13. *Eutichii Vindicati*, & *Stephano Le Moyne prolegm. ad varia sacra* 29. adducta prætermittam. Quod autem *Paulum Romanis* Episcopis accensendum ducimus, ipsis *Pontificiis* autoribus facimus, imo *Pontificibus*, qui in edictis suis Petri ac Pauli autoritate ad se per successionem derivatâ agere se fatentur, & in bullis non ininus Pauli quam Petri imaginem exhibent, imo Pauli à dextris, Petri à sinistris. Confer *Antonii Arnaldi* librum Gallicè editum *de autoritate Petri & Pauli quæ in Papa illorum successore residet*, & alium qui vel ejusdem *Arnaldi* vel *Sancyrani* illo tempore *Abbatis* (vide *Sarravii* Epist. p. 134. seq.) esse fertur, & inscribitur *la Grandeur de l' Eglise Romaine*, latine versus & notis auctus à *Job. Henrico Ottone* Basil. 8. *Franciscum* item *Hallerium* in opere *de Hierarchia Ecclesiastica*. Plura tum de tota controversia tum de adversariis *Arnaldi*, *Petro Josepho*, *Isaac. Haberto*, *Carolo Francisco de Ranconis*, *Leone Allatio*, *Theophilo Raynaudo* aliisque dabit Maxime Rev. *Thomas Ittigius*, quem *Academiæ & Ecclesiæ Lipsiensis* imo universæ bono post tot clades acceptas servet in seros annos divina bonitas! in *heptade Dissertationum*, appendici *de hæresiarchis Apostolica ætatis* subjecta *dis. IV. p. 401. seqq.* Vide etiam *B. Joh. Geor.*

Georgii Dorschei Dissertationem Raynaudo oppositam de Ecclesia Romana monstro tricipiti.

THESES VI.

Quamvis vero *Hilarius Diaconus* vel quisquis est auctor commentariorum quos sub *Ambrosii* nomine falso circumferri diximus in *Epistolas Pauli*, ad *2. Corinth. XI.* affirmat, omnes *Apostolos maritos fuisse exceptis Paulo & Johanne*, atque adeo *Paulo conjugem fuisse* diferte inficatur, neque tamen vel argumenta vel testimonia veterum desunt, quibus *Paulum maritum fuisse* comprobetur. Equidem multis pro perpetuo *Apostoli cœlibatu* contendit *Thomas Masfucius in Vita Pauli lib. 1. cap. 8. seq.* neque negari potest, pluribus veterum *Epiphano, Hilario, Hieronymo, Chrysostomo, Augustino, Theodorito, Theophylacto* verisimilius visum, à matrimonio abstinuisse: ita ut *Spadonem Evangelicum* vocet *Tertullianus* sed jam *Montanista* in *libro de Monogamia cap. 3.* Videturque hoc illis persuasisse ipse *Apostolus* qui *1. Corinth. VII. 7.* optat omnes homines vivere vitam qualem ipse vivebat cum hæc scriberet, & versu *8. Cœlibibus autem & viduis dico, bonum eis esse si sic maneant, ut ego.* Ex hoc tamen loco minus constat eum tunc non fuisse viduum, neque vetant hæc verba quo minus antea uxorem habuerit etiam dum jam *Apostolus* esset. At hæc aliaque discutienda peculiari dissertationi *DE PAULI CONJUGIO*, D. V. reservamus.

THESIS VII.

Post *Petrum & Paulum* de *Clemente* dicere juvat, quem

C2

Pe

Petro in Episcopatu successorem dant Pontificii. Et quidni darent? quem ipsum à Petro vivente adhuc electum ut sibi succederet, firmiter tenent ex Epistola *Johannis III.* Pontificis Romani. Confer quæ scriptimus in *Commentario de Electione Romani Pontificis.* At enim quidam veterum Petro in Pontificum ordine proximum subjiciunt *Linum*, quod doctissimus *Caveus & Stephanus le Moyne* cum alterâ sententiâ ita conciliant, ut dicant *Clementem Pauli*, *Linum Petri* successorem, hunc circumcisionis, illum præputii, Judæorum alterum, alterum Gentium Episcopum fuisse. Idem tamen *Caveus* postea *Dodwello* potius assentiri maluit, in cujus tractatu de *successione Pontificum*, *Lino & Anacleto* locus ante *Clementem* sed brevissimi temporis assignatur. Utut autem ista se habeant, saltem *Clemens Romanus* à conjugio non abhoruisse probatur ex his ejus verbis quæ in *Epistola ad Corinthios* scripta leguntur num. XXI. τὰς γυναῖκας ἡμῶν ἐπὶ τὸ ἀγαθὸν διορθώμεθα. τὸ ἀξιογάπητον τῆς ἀγνείας ἡθεῖ ἐνδειξάμεσθα. τὸ ἀκέραιον τῆς προύτητος βέλημα ἀποδείξάμεσθα, τὸ ἐπεικὲς τῆς γλώσσης αὐτῶν διὰ τῆς φωνῆς φανερὸν ποιησάμεσθα, τὴν ἀγάπην αὐτῶν, μὴ κατὰ προσκλίσεις ἀλλὰ πᾶσι τοῖς φοβουμένοις τὸν Θεὸν ὁσίας εὐσχημίας παρεχέμεσθα, τὰ τέκνα ἡμῶν (ita legit *Clemens Alexandrinus* qui hunc *Clementis Romani* locum adducit libro IV, *Strom.* p. 517. non ὑμῶν) τῆς ἐν χειρῶν παιδείας μετὰ λαμβανέμεσθα. *Uxores nostras ad id quod bonum est emendemus. amabiles castitatis mores ostendant, puram & sinceram mansuetudinis sue voluntatem demonstrant, lingua sue moderationem silentio manifestam faciunt, charitatem suam sine personarum acceptione omnibus Deum sancte timentibus æqualem exhibeant. Liberi nostri discipline Christi participes sint.* Ex quibus ita colligit doctissimus **CALIXTUS** de *Conjugio Clericorum* p. 145. *Clementi* igi-

tur uxorem & liberos fuisse apparet. Id enim innuunt verba
 τὰς γυναῖκας ἡμῶν, τὰ τέκνα ἡμῶν. Numeratur quidem in Igna-
 tii ad Philadelphenses Epistola inter expertes nuptiarum, ceterum
 cum eam interpolatam esse constet, posset responderi ut inter mari-
 tos Paulum ita inter Cælibes Clementem perperam intrusum fuisse.
 Scripsit autem Clemens Epistolam illam ut Irenæus indicium fecit
 nomine Ecclesie Romanæ. Ergo suò, utpote Episcopi & cleri Ro-
 mani nomine, vel ex ipsa adversariorum confessione. Nam popu-
 lum sive Laicos ad ejusmodi negotia illi non solent admittere. Id
 certe patet ex his verbis quam alienus fuerit Clemens Roma-
 nus a sententiâ quam illi in Epistola secunda decretali affixit Isi-
 dorus impostor apud Blondellum Turriani Vapulantis p. 63. Ad
 Dominica autem mysteria tales eligantur, qui ante ordinationem
 suam conjuges suas non noverint. (Alii omittunt particulam
 negandi, alii legunt reliquerint, ut adnotat Blondellus) Quod
 si post ordinationem ministro altaris contingerit proprium invadere
 cubile Uxoris, sacrarii non intret limina, nec sacrificii portitor
 fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausti oblationem
 suscipiat, nec ad Dominici corporis portationem accedat, nec
 aquam Sacerdotibus porrigat ad manus, ostia forinsecus claudat,
 minora gerat officia, urceum sive calicem ad altare non sufferat.
 Nimis hæc profecto dissentanea à genio & ætate Clementis
 Viri Apostolici, ceu ex genuina ipsius epistola constat.

THESIS VIII.

Cletum, qui Clementem in Pontificatu excepisse à
 multis dicitur, aliis licet locum inter Episcopos Roma-
 nos ei negantibus (vide Petavium p. 47. seq. ad Epipha-
 nium, & T. 3. dogm. Theol. p. 701. seq. T. 4. parte 2
 pag. 745. seq. Blondellum pag. 41. Pseudo Isidori & pref

de *Episcopis* p. 25. seq. & 30. & in libro ipso p. 9. *Caveum* in vita *Clementis Pearsonum* denique & *Dodwellum* de successione Pontificum) heic obiter & in transcurso sisto non quod ipse conjugium iniit, de quo minus constat, sed quod in vita ejus *Bartholomæus Platina* Divi *Lucæ* Evangelistæ conjugium & novissima hunc in modum recenset: *Hujus autem temporibus fuit Lucas Medicus græci sermonis apprime doctus, Pauli Apostoli imitator, vixit annos octoginta quatuor, uxorem habens in Bithynia.* Ita certe habent editiones antiquissimæ *Basileensis* A. 1479. *Norimbergensis* A. 1481. apud *Antonium Koburger*, quam hæc scribens in manibus teneo, *Lugdunensis* A. 1512. apud *Gilbertum Villiers Borbonium*, & alia *Basileensis* A. 1540. apud *Eucharium Cervicorum*: quod in recentioribus, quæ *Onuphrii Pandinii* commentarios junctos habent, sive ab ipso *Onuphrio* sive ab alio nescio quo, non tantum contra fidem sed inepte quoque ac ridicule mutatum est in hanc sententiam: *Vixit annos octoginta quatuor, uxorem non habens in Bithynia, quasi nempe alibi uxorem Lucas, non in Bithynia habuisset.*

THESIS IX.

Ac quam plurima quidem ex seculis prioribus Episcoporum Romanensium Maritorum exempla dari potuisse ambigo nullus, nisi exactior pleniorque illorum Antistitum nos destitueret historia. Sed universis illorum actis propemodum in meras tenebras fabulasve involutis, quis de antiquissimorum illorum conjugio tam pauca hodie constare mirabitur? Sequentia autem secula quædam suppeditare crederes? cum *Hyperius* parte 2. Opuscul. Theolog. p. 516. ex Pontificiorum mente affirmet *Calixtum I.* severissimi illius interdicti quod *dist. 27. can. Presbyteris, Gratiano* addu-

ducitur, extitisse auctorem, ille autem ab A. 216. Ecclesiæ Romanæ creditur præfuisse. Verba Canonis hæc lego: *Presbyteris Diaconibus Sub-Diaconibus & Monachis concubinas habere seu matrimonia contrahere penitus interdiciamus, contractaque matrimonia ab huiusmodi personis disjungi & personas ad pœnitentiam redigi debere juxta sacrorum Canonum definitionem iudicamus.* At bene se res habet: (1) emendarunt errorem editiones recentiores ex *Gregorii XIII.* Rom. Pontif. recognitione, illudque decretum *Calixto II.* qui circa Annum 1119. vixit, tribuunt. Atque *Franciscus Carriere* Chronolog. Pontific. in vita *Callisti II.* p. m. 246. ipsum Canonem adversus incontinentiam Clericorum edidisse scribit. Quomodo vero emendatio hæc cum glossa *Petri Matthæi* Jcti Pontificii cohæreat, quam servato *Calixti II.* nomine canoni subjicit: *Hic Canon inventus est in Codice Vaticana Bibliotheca in fragmento cuiusdam Concilii ab Urbano secundo habiti cap. 2.* ego quidem ignoro. Num *Urbanus II.* Pontifex A. 1088. vaticinatus est in Concilio surrecturum circa A. 1119. *Calixtum II.* & prohibiturum Clericorum conjugium?

Sed sit ita, (2) sanxisse hunc Canonem *Calixtum I.* revocarunt & ab obligatione immunes esse voluerunt Clericos *Calixti I.* in officio successores. *Sylvester* enim, qui post A. C. 314. Romanæ sedi præfuit, adversantem prorsus huic Canonem legem tulit, teste auctore *veteris Pontificalis* seu libri de vitis Pontificum Romanorum, f. 13. edit Regiæ, (sive is sit *Anastasius* Bibliothecarius, ut visum *Vossio* p. 319. de Histor. Latinis, *Bellarmino* de Scriptoribus Ecclesiast. & *Moguntinis* qui sub Anastasii nomine ediderunt: sive ex tribus antiquis catalogis conflatus sit, quæ sententia est *Schelstratii* in diss. prævia

prævia Antiquitatis illustratæ, sive *Damasum*, ex parte sal-
tim, autorem habeat, ut post *Ptolomaum Lucensem* & *Pan-*
dolphum de Columna multi senserunt: sive denique sexto Se-
culo labente ab incerto autore scriptus sit, ut persuasum
Joh. Pearsonio in diss. de successione Pontificum. Confer
Johannis Ciampini superiore anno Romæ die $\frac{2}{12}$ Julii fati
defuncti examen libri Pontificalis, & doctissimi *Frid. Span-*
bemii Theologorum inter Reformatos facile Principis librum
de Papa fœmina p. 278.) Hic constituit, ut si quis desideraret
in Ecclesia militare aut proficere, ut esset Lector annos haberet 30,
Exorcista dies 30, Acolytus annos 35. Subdiaconus annos 5. Custos
Martyrum annos 5. Diaconus annos 30. & 7. presbyter annos 3. pro-
batus ex omni parte, etiam ab his qui sunt foris testimonium habe-
re bonum, unius uxoris virum, uxorem à sacerdote benedictam,
& sic ad ordinem Episcopatus adscendere.

Abrogasset Canonem illum Pontifex Romanus secu-
li quinti, *Leo I.* sive *Magnus*, qui A. 442. ita scripsit in Epi-
stola ad Episcopos Cæsariensis Mauritaniæ, quæ in aliis
editionibus est septima & octogesima, in præstantissima
editione *Paschasi Quesnelli* Congregat. Oratorii presb. pri-
mum locum occupat p. 401. Dicente Apostolo ut inter alias ele-
ctionis regulas is Episcopus ordinetur, quem unius uxoris virum
fuisse aut esse constiterit, tam sacra semper habita est ista præceptio,
ut etiam de muliere Sacerdotis eligendi eadem intelligeretur servan-
da conditio, ne forte illa priusquam in matrimonium ejus veniret,
qui aliam non habuisset uxorem, alterius viri experta esset conjugii-
um. Quis ergo dissimulare audeat, quod in tanti sacramenti
perpetratur injuriam, cum huic magno venerandoque mysterio
divinæ quidem legis statuta defuerint, quibus evidenter est defini-
tum

tum, ut virginem sacerdos accipiat, & alterius thorum nesciat conjugis, quæ uxor est futura Pontificis.

Ac ne quis Calixto I. suppetias ferat Siricii Pontificis Romani post A. Christi 398. edicto, patet (1) ex Epistola ejus ad Africanos Clericis abstinenciam à conjugio Siricium non tam Canonice præcepisse quam commendasse tantum & suasse. Accipite verba Epistolæ IV. T. 3. Concil. edit. Regiæ fol. 442. *Præterea quod dignum & pudicum & honestum est, suademus ut sacerdotes & levite cum uxoribus suis non coëant, quia in ministerio divino quotidianis necessitatibus occupantur.* Et aliquibus interjectis fol. 443. *Qua de re hortor, moneo, rogo, tollatur hoc opprobrium, quod potest iure etiam gentilitas accusare.* (2.) Non admisere sed ipsa contradixere praxi Episcopi & sacerdotes ætate Siricii. Sanctus etenim Paulinus Episcopus vivebat in conjugio, neque ad novissima uxorem *Therasiam* dimittebat, & de *Papæ Urbici* superba discretionem Epist. 1. ad Severum Sulpicium querebatur. Sunt hujus Paulini ad Ausonium Præceptorem versus Epist. 2.

*Ne me igitur venerande parens his ut male versum
Incepites Studiis, neque me vel conjuge carpas
Vel mentis vitio, non anxia Bellerophontis
Mens est, nec Tanaquil mihi, sed Lucretia conjux
Nec mihi nunc patrii est, ut vis, oblivio cæli.*

Vide pluribus *Calixtum* de Clericorum Conjugio p. 3. seqq. & 244. D. *Henr. Müllerum* Prof. Rostoch. in patrocinio Con-

D

ju-

jugii Clericorum ex Oriente & occidente p. 21. Adde de *Siricio*, *Beveregium* p. 180. ad Synodicon magnum.

THESIS X.

Sed quid multis argumentum de Pontificibus Rom. Maritis asserere allaboro? Satisfaciam Pontificiis de copiis ipsorum Romanorum Pontificum. Testes producam in medium omni exceptione, Pontificios inter, majores, *duos volo Pontificia dignitatis Candidatos, post Pontifices Romanos: Qui uno confitentur ore, plurimos Paparum vixisse in conjugio, & si vota locum invenirent quo caderent, hodie quoque ne honestum declinent Pontifices thalamum optandum esse.* Unus est *Amadeus Sabaudia Dux, alter Aeneas Sylvius postea Pii secundi nomine inclytus, qui Amadei causam refert & adprobat.* Hic inquam *Aeneas Sylvius* in libro II. de *gestis Concilii Basileensis apud Ortuinum Gratium* hostem *Lutheri* atque adeo *Conjugii Clericorum quoque infensissimum, in fasciculo rerum expetendarum & fugiendarum T. I. edit. Londinensis Eduardi Brown. p. 50. 51. cum narrasset Amadeus Sabaudia Ducem (qui contra Eugenium IV. à Concilio eligendus erat) uxorem unicam duxisse, eamque virginem nobilem & formae & pudicitiae admirabilis, idque ei ad Papatum evahendo obstare dixissent aliqui, vitioque esse quod conjugatus extitisset prolemque haberet, non defuisse contra testatur nec improbat ipse qui causam illius in Concilio agerent, hisque defenderent verbis: Id autem quod de uxore dicitur nihili pendo, cum non solum qui uxorem habuit sed adhuc uxorem habens queat assumi. Cur enim disputant Doctores, an uxora-*

tus

tus electus in Papam uxori solvere debitum teneatur? neque quoniam etiam conjugatus recipi possit? fuerintque ut scitis etiam in matrimonio Pontifices, nec Petrus Apostolorum Princeps uxore caruit. Quid ista modo obijcimus? fortasse non esset pejus sacerdotes quam plures uxorari, quoniam multi salvarentur in sacerdotio conjugato, qui sterili in presbyteratu damnantur. Sed de hoc alias. Illud autem mihi risu magis quam responso dignum videtur, quod de filiis est obiectum. Etenim cur filii, presertim natu grandes, Pontifici Patri sint impedimento? Numquid ait Scriptura: Va soli, quoniam si ceciderit non habet sublevantem se; Hoc enim impunitari Principi modo non poterit. Sunt enim illi filii duo & formâ & ingenio admodum prestantes, quorum alter Princeps Pedemontensium, alter comes est Gebennensium, hi partim Sabaudia absente Patre gubernabunt, indigentique sibi auxilia subministrabunt. En quid mali hoc est habere Romanum Antistitem potentes filios, qui Patrem contra Tyrannos iuvare queant? Arrigite aures Pamphili Romani! Vultis plura? dabo. Vestro Bellarmine, Schatteni, si electio stetit arbitrio, vel sola ob hæc verba dignitate excidisset Sabaudia Dux. Tantam vero his verbis efficaciam fuisse scribit Aneas & adprobat, ut proximo scrutinio res perfecta, Amadeusque, ceu diximus, non obstante ejus conjugio ac liberis, in Pontificem electus fuerit, assumpto nomine Felicis V. quod contingit A. C. 1439. Et quâ, ut illæsa staret Pelagio Pontifici sua autoritas, alter poterant? Non possum non hoc loco commemorare responsum Pelagii sive Gelasii Pontificis quod ex ejus Epistola ad Cethegum Patricium dist. 28. can. 13. legitur, cum geminum prorsus exemplum exhibeat, arcanamque rationem quare ab usu conjugii arceantur. Clerici, scilicet ne bona Ecclesiastica

imminuantur, diserte pandat: De Syracusanae urbis antistite optaveramus in ipso initio gloriae vestrae desideriis obedire, nisi nos multiplex ratio ipsius non paucis temporibus ordinationem differre sacerdotii coëgisset, ob hoc quod vel personae qualitas (sicut & vos melius nostis) vel superstes uxor aut filii (per quos Ecclesiastica solet periclitari substantia) nostros animos diutius ab ejus ordinatione suspenderent. Et quantum ad cautelam humanam pertinet, integro pene anno distulimus, opinantes quod in melius Syracusanorum provenire posset electio. Sed quia in voluntatis suae proposito irrevocabiliter perstiterunt, & nullus est alius in eadem repertus Ecclesia nisi longioribus adhuc temporum differretur spatiis, ne paulo amplius insanirent (sicut filii nostri Magnifici Viri Praetoris testificatione didicimus) inter hujusmodi ambiguitates illud consultius judicavimus faciendum, ut congrua Providentia causam, propter quam Principalis constitutio habentem filios & uxorem ad Episcopatus ordinem promoveri prohibet, salvum dispositione consilii muniremus. Qua de re summo studio ab eodem Syracusanae urbis Episcopo, priusquam à nobis contingeret ordinari, hujusmodi exegimus cautionem, per quam & suam fateretur, quantula esset, praesentis temporis habita rerum descriptione, substantiam & nihil unquam per se aut per filios & uxorem sive quamlibet propinquam aut domesticam vel extraneam forte personam, de rebus usurparet Ecclesiae, & universa sui Episcopatus quasita tempore, Ecclesiae suae Dominio sociaret, nihil ultra id quod modo scriptum est filiis suis vel heredibus relicturus.

THESIS XI.

Jam necesse est Pontificis uxorati, cui inter sanctos
locum

locum concessere Papæi homines, & P. Boye Pontificius scriptor peculiari libro de *sanctis conjugatis* agens principem debet, heic me mentionem injicere. *Sanctus* is est *Hormisda*, ab A. C. 514. Præses Romanæ Ecclesiæ. Hunc etenim *ex legitimo thoro genuisse filium*, *Silverium* post *Veteres Ciacconius* T. 1. Pontific. f. 536. & *Franc. Carriere* in Chronol. Pontific. expresse fatentur. Illum etiam Pontificem Matrimonio fidelis cujuscunque conditionis (Clericos autem ex fidelium numero Pontificii excluderent?) suum asseruisse honorem, constat ex decreto quod *Alphonsus Ciacconis* Dominicanus Monachus l. c. refert: *Nullus fidelium cujuscunque conditionis sit, occulte nuptias faciat, sed benedictione accepta à sacerdote, publice nubat in Domino.* Ne autem mihi illud *Hormisda* quis objiciat, *Baronio* ex T. V. Antiquar. Lect. *Canisi* pag. 287. adductum ad A. C. 523. f. m. 98. *Quod si, secundum quod scriptum est, illi Clerici qui ad uxores proprias redeunt, ab intergro ab officio suspendantur. Quod si etiam dicam & (forte dicantur) interventu nuptiarum mariti, qui utique rem licitam faciunt, Clerici tamen ordinari non possunt, aut si ordinati fuerint, deiciantur.* De quibus *S. Faustus* Episcopus in Epistola sua dixit: *Perdit gratiam consecrati, qui ad officium vult excitari mariti.* Illi verbis *Henrici Spondani* Episcopi Apamiarum, *Baronii* continuatoris ad Annum C. 523. f. m. 592. respondeo: *Ea Epistola quam h. l. recitat Baronius vix poterit esse Hormisda, cum in ea fiat mentio Johannis Apostolici Pape, omnes autem ejus nominis Pontifices sederunt post Hormisdam, nec certe illa redolet stylum Pontificium. Est ergo alterus cujusdam Hormisda, minoris sedis Episcopi, ut manifeste apparet.*

De *Sergio* nunc scribere animus erat, sed dubius hæreo violemne fidem ante datam me de legitimis tantummodo Pontificium connubiis acturum, cum fateantur Pontificii hunc Pontificem ex scortatione filium genuisse *Johannem XI.* aut *XII.* Sufficiet hoc loco adduxisse testimonium doctissimi *Papebrochii* in *propylæo ad Acta sanctorum* p. 154. *Non sunt tam mala Sergii hujus principia quàm credidit Baronius, nec pudendi fuissent progressus, si non eos infamasset Maurozia nobilis scorti amor, ex qua IAM IPSE PAPA (sic enim fertur) filium genuit Johannem, postea ejus nominis Papam undecimum.* At enim (1) forte injuriam interunt *Sergio* huic Pontifici, quod *Sergio* antecessori contigerat. Ita namque de hoc scriptor *Vite Althelmi* apud *Suriium* die 25. Maji T. 2 p. 306. *Per idem tempus puer quidam ex incestu genitus Romani Pontificis famam nonnihil contaminavit, quod vulgus ut fieri solet sparsa rumore vano male persuasus, eum Pontificem habere patrem existimaret. Anxius igitur Althelmus multumque dolens Pontificem haut vulgari amicitia sibi devinctum, ejusmodi infamia fædari, puerum non nisi novem habentem dies exhiberi jubet, eique in virtute & nomine Christi imperat ut edicat num Sergius Pontifex eo se scelere obstrinxerit? Respondit infans absolutissimo sermone, Pontificem nequaquam illi crimini affinem esse, nihil illum cum fæmineo sexu commercii habere. Atque ita Althelmus & ab amico Pontifice depulit infamiam, & sibi gratiam cumulavit.*

(2) Quo argumento solide & canonicè probare poterunt Pontificii

Poz.

Pontificem ullum unquam scortatum fuisse?

Respondeant Pontificum omnium advocato strenuo, *Pileo*,
Modicensi Jcto, *Rosella* causam quod adulterio se cum Pon-
tifice Rom. polluisset diffamatae, hunc in modum defen-
denti, *Quaestione 44. Sed adhuc est fortior ratio pro Rosella.*
Non potest probari adultera, ergo nec damnari. Quod non pos-
sit conveniri, subtili ratione probatur. Impossibile est Rosellam
cum Pontifice adulterium commisisse, quod Pontifex idem non
commiserit cum Rosella. Ergo non potest probari adulterium
commisisse Rosellam cum Pontifice, quin probetur Pontificem com-
misisse cum Rosella. Sed hoc probari est impossibile. Ergo & illud.
Quam vero ob causam impossibile est probare Pontificem
commisisse adulterium? Ideo, quia nullum agnoscit forum,
à nemine judicari potest, vide Abrahami Bzovii Pontificem
Romanum cap. 15. p. 121. seq. Quid? quod nemini Papæ
dicere licet, Papa quid facis? vi canonis 6. distinct. 40. Si
Papa suae & fraternae salutis negligens, deprehenditur inutilis,
& remissus in operibus suis, & insuper à bono taciturnus, quod
magis officit sibi, & omnibus; nihilominus innumerabiles populos
caterbatim secum ducit, primo mancipio gehenna, cum ipso plagis
multis in aeternum vapulaturus. Hujus culpas istic redarguere
presumit mortalium nullus: Quia cunctos ipse judicaturus à ne-
mine est judicandus nisi deprehendatur à fide devius.

Neque vero adversus Sanctissimum suspicionibus a-
gendum. Deprehendat quis Pontificem cum foemina cu-
bantem, non scortationis sed mortificationis carnis opus
esse censebitur. Fecit id *B. Robertus de Abriffello*, Ordinis
Fontis Ebraldini fundator, (cujus historiam scripsit *Niquetus*,)
de

de quo teste *Goffrido Vindocinensi* lib. IV. Epist. 47. hoc in omnium ore ferebatur. *Audivimus*, inquit dicto jam loco *Vindocinensis*, quoniam circa sexum femininum quem regendum cepisti, duobus modis altero alteri prorsus contrario te ita sollicitum reddis, quod modo in utroque modum discretionis penitus excedis. *Fæminarum* quasdam ut dicitur nimis familiariter tecum habitare permittis, quibus privata verba sæpius loqueris, & cum ipsis etiam & inter ipsas noctu frequenter cubare non erubescis. Hinc tibi videris, ut asseris, Domini Salvatoris digne bajulare crucem, cum extinguere conaris male accensum carnis ardorem. Hoc si modo agis, vel aliquando egisti, novum & inauditum, sed infructuosum genus martyrii invenisti.

Et *Albhelmus* Episcopus *Schireburnensis*, ut refert *Wilhelmus Malmesburiensis* in ejus vita cap. 2. si quando stimulo carnis admoneretur, non solum illecebræ denegabat effectum, sed & alias insolitum denegabat triumphum. Neque tamen fæminarum consortium repudiabat ut ceteri, qui ex opportunitate timent prolabi, imo vero vel assidens vel cubitans aliquam detinebat, quoad carnis tepescente lubrico, quieto & immoto discederet animo. Derideri se videbat *Diabolus*, cernens adherentem fæminam, virumque alias avvocato animo insistentem cantando *Psalterio*, & valefaciebat mulieri, salvo pudore, illesa castitate. Residebat carnis incommodum, dolebat nequam spiritus de se agitari ludibrium. Assistenti veritati dictorum meorum, quantum cælibatus amorem fovet, liber de *Virginitate* preclarus, qui & illius amorem definit, pulchritudinem ornat, perseverantiam coronat. Neque enim fas est credi, sanctum virum aliter fecisse quam docuit, aliter vixisse quam dixit.

Quod

Quod si inter amplexus mulieris deprehendatur Pontifex, interpretandum est quod *benedicendi causa* hoc ab ipso fiat. glossa can. *Absit causa* II. q. 3. Quid vero? nonne Papa ex scortatione non - scortationem facere potest? fornicationemque in castos sanctosque permutare amores? Papa enim est *præter supra & contra jus, omniaque potest*, teste Baldo, apud *Philippum Decium* Consil. 558. num. 8.

THESIS XII.

Jam ad *filios Pontificum*, Patrum in officio & dignitate Papali Successores. Sacerdotum filios ad axiomata Pontificis Rom. eVectos ex *Damaso* Jus Canonicum dist. 56. profert sequentes: *Osius* Papa fuit *Filius Stephani* subdiaconi. *Bonifacius* Papa fuit *filius Jucundi* presbyteri de titulo *Fasciola*. *Agapetus* Papa *filius Gordiani* presbyteri. *Theodorus* Papa *filius Theodori* Episcopi Civitatis *Hierosolymæ*. *Silverius* Papa *filius Hormisdæ* Episcopi *Romæ*. *Deusdedit* Papa *filius Jucundi* presbyteri. *Felix II* natione *Romanus* ex patre *Felice* presbytero. *Gelasius* natione *Afer* ex patre *Episcopo Valerio* natus est, & multi alii (*Dionis. I. Clemens VII. Johan. X. Leo V.*) inveniuntur, qui de sacerdotibus nati *Apostolicæ sedis* præfuerunt. *Hyperius* Doct. & Profess. *Marpurgensis* hos numerat Pontifices Romanos ex sacerdotibus genitos parte 2. Opuscul. Theol. p. 508. Leguntur apud *historiographos*, in primis apud *Platinum* ad summum dignitatis fastigium plures *Episcoporum filii* conscendisse. Siquidem *Adrianus II.* qui *Nicolao* successit ad *A. C. 889.* *Romæ* natus est ex patre *Tharasio* Episcopo. *Johannes XI.* *filius* fuit *Sergii* Papæ, itidem *Romæ* natus, ita ejusdem *Sergii filius* ab historicis creditur. *Johannes XIV.* *Ro-*

E

me

ma natus patrem habuit quendam Episcopum Iohannem, Iohannes XVI. fuit filius Leonis presbyteri, natus Romæ. Iohannes XXI. patrem habuit Episcopum Ostiensem, atque itidem Romæ, de quibus omnibus apud Platinam, aliosque.

Johannes Martinus Lydius Ecclesiastes Veteraquinenſis in limine Balei de actis Pontificum Romanorum hunc textit catalogum de Papis ſacrificorum filiiſ: Bonifaciuſ primuſ Jucundi ſacerdotiſ filiuſ, ex conjugio creditur. Felix III. Feliciſ ſacerdotiſ filiuſ, ex conjugio. Gelafiuſ I. Valerii Epifcopi filiuſ, ex conjugio. Agapetuſ I. Gordiani preſbyteri filiuſ ex conjugio. Sylveriuſ I. Hormiſde Rom. Pontificiſ filiuſ ex conjugio. Theodatuſ I. Stephani ſubdiaconi filiuſ, ex conjugio. Theodoricuſ I. Theodori Hieroſolymorum Epifcopi filiuſ ex conjugio. Hadrianuſ II. Tallari Epifcopi filiuſ, ex conjugio. Martinuſ II. Palumbi ſacerdotiſ filiuſ, ex ſcortatione. Iohanneſ XI. Landoniſ Papæ filiuſ ex ſcortatione. Iohanneſ XII. Sergii III. Papæ filiuſ, ex ſcortatione. Iohanneſ XIV. Iohanneſ XII. Papæ filiuſ, ex ſcortatione. Iohanneſ XVI. Leonis ſacerdotiſ filiuſ, ex ſcortatione. Benedictuſ VIII. Gregorii Epifcopi filiuſ, ex ſcortatione. Iohanneſ XXI. ejuſdem Gregorii filiuſ ex ſcortatione. Sylveſter III. Laurentii Archi-preſbyteri filiuſ, ex ſcortatione. Hadrianuſ IV. Roberti monachi filiuſ. Eugeniuſ IV. Gregorii XII. Papæ filiuſ, ex ſcortatione. Clemenuſ VIII. Leonis X. Papæ filiuſ, ex ſcortatione. De Gregorio IX. Hadriano V. & Gregorio XI. dubitatur num patreſ habuerint Innocentiuſ III. Innocentiuſ IV. & Clementem VI.

Nos noſtram nunc indicabimus ſententiam. De Sylve-rio papa, Hormiſde Papæ filio, A. C. 536. ad Pontificiam dignitatem elato conſentiunt Scriptoreſ Pontificii omneſ, & veſtu-

vestutissimus Vitarum Pontificum scriptor *Anastasius*: *Siberius* natione *Campanus* ex patre *Hormisdà* Episcopo Romano, sedit annum unum menses quinque, dies undecim.

De *Johanne XI.* ab Anno 931. Pontifice Romano, (aliis qui *Johannem Papissam* numero Pontificum interferunt, *Johanne XII.*) unanimi itidem consensu docent Pontificii Scriptores, quod *Sergii* Papæ ex nobili scorto *Maurozia* filius fuerit. Accipe verba *Francisci Carriere* in *Chronologia Pontificum* p. 199. *Johannes XI. Romanus Sergii III. ex scorto Maurozia filius* introducitur *Judeis* adhuc, quandoquidem matrem adhuc amoribus aptam & pulchritudine florentem haberet. Pontificatus ejus fuit infaustus, nam detrusus fuit in carcerem ab *Alberico* ipsius *Marozia* filio, quem ex *Adelberto* Marchione susceperat, à quo detentus, coactus fuit Anno 934. concedere Patriarchæ *Capolitano* ut absque Pontificum permissu ipse & successores uterentur palliis: id muneribus corruptus exegit *Albericus* à captivo Papa, indeque mos inolevit, ait *Luitprandus*, ut & Episcopi totius *Græcie* palliis utantur. DEUS hanc *Ecclēsia* suæ maculam inuri permisit ad majorem ejus splendorem more mulierum quæ ad innatæ candoris argumentum muscas & nigredines sibi in facie appingunt. Obiit intrusus *Joannes* patientissimus afflictionibus, benefunctus, cum sedisset annos quatuor menses decem.

Johannem A. C. 955. in Pontificem summum electum *Hyperius* inter filios *Sergii III.* Papæ refert. Quis ille fuerit ex *Otthonis Imp.* Epistola & responsione Pontificis intelliges, quas ex *Luitprando* refert *Baronius* ad A. C. 463. num. 19. seq. T. X. *Annal. Summo Pontifici & universali Papæ Domino Johanne*

ni, Otto divina respectu clementiae Imperator Augustus, cum Archi-
 Episcopis Liguria, Tuscia, Saxonia, Francia, in Domino salutem:
 Romam ob servitium DEI venientes dunt filios vestros Romanos scili-
 cet Episcopos Cardinales presbyteros diaconos & universam plebem
 de vestra absentia percontaremur, & quid cause esset, quod nos Ec-
 clesie vestrae vestrique defensores videre nolissetis: talia de vobis tam-
 que obscena protulerunt, ut si de histrionibus dicerentur, nobis ve-
 recundiam ingererent. Quae ne magnitudinem vestram lateant
 omnia, quadam vobis sub brevitate describimus, quoniam si cuncta
 nominatim exprimere cuperemus, dies nobis non sufficeret unus.
 Noveritis itaque, non à paucis sed ab omnibus tam vestri quam al-
 terius ordinis vos homicidii, perjurii, sacrilegii, & ex propria
 cognatione atque ex duabus sororibus incesti crimine esse accusatos.
 Dicunt & aliud auditu ipso horridum, Diaboli vos in amorem vinum
 bibisse: in ludo alea, Jovis, veneris Ceterorumque Demonum au-
 xilium poposcisse. Oramus itaque Paternitatem Vestram obnixè,
 venire atque ex his vos omnibus purgare non dissimuletis, si forte
 vim temerariae multitudinis formidatis, juramento vobis affirma-
 mus, nihil fieri prater sanctorum Canonum sanctionem. Dat. VIII.
 Idus Novembr. Quam Epistolam cum legisset, ita respondit:
 Johannes Episcopus servus servorum Dei, omnibus Episcopis: Nos
 audivimus dicere quod vos vultis alium Papam facere. Si hac fe-
 ceritis, excommunico vos de DEO omnipotenti, ut non habeatis li-
 centiam ullam ordinare & Missam celebrare.

Adde capita accusationum, quae contra Johannem
 hunc producta & Ottoni Imp. insinuata ex eodem Luitpran-
 do refert Baronius num. 15. Tunc consurgens Petrus Cardinalis
 Presbyter, se vidisse illum Missam celebrasse & non communicasse,
 testa-

testatus est. Johannes Episcopus Narniensis, & Johannes Cardinalis Diaconus, se vidisse illum Diaconum ordinasse in equorum stabulo non certis temporibus, sunt professi. Benedictus cum ceteris condiaconis & presbyteris dixit se scire, quod ordinationes Episcoporum faceret pretio, & quod annorum decem Episcopum in Tridentina civitate ordinavit. De sacrilegio non est necesse percontari, quia plus videndo quam audiendo scire potuissimus. De adulterio dixerunt, quod oculis non viderunt sed pro certo scirent viduam Rainarii & Stephanam Patris concubinam & Annam viduam cum nepte sua abusans esse, & sanctum palatium lupanar & prostibulum fecisse: venationem dixerunt publice exercuisse ense accinctum, galea & lorica indutum fuisse, testati sunt. Diaboli in amorem vinum bibisse, omnes tam clerici quam Laici acclamarunt. In ludo alee, Jovis, Veneris, ceterorumque Demonum auxilium poposcisse dixerunt. Matutinas & Canonicas horas eum non celebrasse, nec signo crucis se munisse professi sunt. Ac nihilominus monstro huic publica voce acclamatum est fuit homo missus à Deo, cui nomen Johannes. Necessitudine autem hunc Johannem XII. Johanni XI. junctum fuisse apud Franciscum Carriere lego, quod nempe Sergii III. filius patruus ipfius, atque adeo Johannes XII. ipse Sergii Nepos fuerit, in cujus Patruum honorem nomen Octaviani mutaverit in nomen Johannis. At fratrem Johannis XI. fuisse, & Sergii III. filium, nullibi reperio.

Aliis discutiendum relinquo utrum ad Nepotes etiam devenerit Papalis dignitas, ut Johannes XIII. Johanni XI. suos debeat natales. Avum Sergium III. habuit ut jam diximus. Certe ex patre Johanne Episcopo natum esse, Plati-

na in ejus vita testatur, & *Ciacconius* in vitis Pontificum de eo hæc habet T. I. p. 726 *Johannes XIII. Romanus, Johannis Episcopi filius, ex legitimo matrimonio procreatus, Episcopus Namienfis &c.* Illum vero Johannem Episcopum non alium quam duodecimum hujus nominis Episcopum Romanum esse, minime ambigit *Johannes Martinus Lydius* in Catalogo quem *Balei* libro de actis Pontificum præmisit, quemque paulo ante integrum adscripsimus.

In eodem *Lydii* catalogo præter *Eugenium IV. Gregorii XII. Papæ* (ut nescio quo autore tradit) filium ex scortatione susceptum, memoratur etiam *Clemens VII. Leonis X. Pontificis filius, ex illegitimo thoro procreatus, de quo Johannes Baleus libro VIII. de actis Romanor. Pontificum p. 441. Clemens VIII. patria Florentinus, Leonis X. Papæ (nothus dixissem) nepos, & Julius ante vocatus titulo S. Laurentii presbyter Cardinalis, scelerato Patri scelestissimus filius impio Papatu successit.* Ne vero hoc utpote adversarii testimonium statim ut fide indignum prorsus rejiciatur, id ipsius, *Onuphrii* autoritate de legitimis *Clementis* natalibus dubitantis, ex parte confirmari posse, atque adeo non plane de nihilo vel aspernandam illam *Balei* sententiam ostendimus in commentario de electione Romani Pontificis p. 80. 81. Verba *Onufrii* hæc sunt: *Clementis septimi pater Julianus Medices fuit, senioris Laurentii frater, qui in conjuratione Pæctiana, anno salutis 1478. quinto Kal. Maji nefarie interfectus est, in quo judene singularis humanitas cum insigni liberalitate conjuncta omnium ordinum ac ætatum incredibilem ei benevolentiam comparavit. Natus est illi ex parum certa neque propalam legitima uxore, altero circiter atq;*
tri.

tricesimo ab obitu die ad septimum Kalendas Junii filius posthumus nomine Julius. Quis non suspicetur Onufrium heic matris crimine prodito, adulterum Patrem callide dissimulasse? neque id fecisse ob aliam causam quam ne sanctissimum Pontificis nomen illo crimine obstringere cogeretur.

Concludam hanc diatribam dicto *Alexandri VII.* Pontificis qui ab Hispaniarum Rege rogatus ut Johannem Austriacum, Philippi Regis nothum inter Cardinales cooptaret, *respondit non posse, quia in Cardinalium Collegium nunquam adsciti fuerint bastardi, in Pontificum vero licere.*

FINIS.



AT 1046

Conclufionem hanc dicitur esse
factam per abbas illiusdem Regis
et alios inter Cardinales cooperantes
reputanda non posse, quia in Cardinalium Collegio
nulli potestatem habere, et iurisdictionem esse.

T. N. S.



1017



Q.K.
4107

X 18763

PONTI ROMANIS

FILIIS PATRUM

SUCCE

Summe Rever.

Acad

Sub

Jo. FRID. MEYER

& Ducalis S. Theol.



Facult. T

GREGORI

Uter

Ad d.

KILONII, Literis Bart



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches
Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black